



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Monumenta Paderbornensia

Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>

Francofurti ; Lipsiæ ; Norjbergæ, 1713

IX. Summa rerum in Alisone castello gestarum, dum illud Romani
tenuerunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29975

agendo, sensim eum in securitatem, ac mox in exitium impulerint. Atqui Varum fuisse tum in Alifone postea ostendemus. Igitur omnia illa, quæ de castellis Romanis à Dione disputantur, sunt in primis Alifoni tribuenda. Sanè cum vicus, qui hodie superest Ellsen, non modico spatio à confluentibus recesserit, non vana est conjectura totum eum campum, qui medius est inter confluentes, ubi castellum fuit, & extremos vici fines, frequentibus domiciliis habitatum, atque ita non mediocrem civitatem hoc loco fuisse. Præterea liquet ex his, quæ è Dione attulimus, unum hoc in interiore hac Sicambrorum regione castellum, ubi hiberna essent Romanorum, extitisse. neque enim vel pauca his locis castella verè affirmasset, si modico intervallo plura fuissent, vel in castellis hiberna poni solita, si alius unquam fuisset castelli, alius hibernorum locus. Quæ cum certa sint, alio præterea argumento certò concludimus, Alifonem castellum & civitatem non alibi, quàm in hoc loco quarendum esse. Proditum enim est à Velleio, Tiberium, cum post cladem Varianam, rem suis oris utcumque restituisset, digredientem in Italiam, ad caput Luppiaë fluminis hiberna locavisse. Quid clarius? Quem enim locum Dio ad confluvia Luppiaë & Alifonis, eum Velleius statuit ad caput Luppiaë. Is igitur amnis, qui proximè à capite Luppiaë in ipsum influit, is est, qui Alifo veteribus dictus, Drusiano castello locum & nomen dedit. At quis ille est, nisi Alma? Maneat ergo, Princeps Illustrissime, tuum hoc domicilium in ipsis Castelli Drusiani vestigiis esse collocatum.

Lib. 2.

C A P U T IX.

*Summa rerum in Alifone castello gestarum,
dum illud Romani tenuerunt.*

Q Uo in loco, quæ jam inde à prima origine, non indigna posteritatis memoriâ gesta sint, si coner breviter percensere, equidem nescio simne operæ pretium

facturus. certè, quæ tua est humanitas, Princeps optime, si me in eo, & pietati in te meæ obsequi, & studiis adolescentum nostrorum prodesse velle videris, non gravatè, uti confido, feres. Illud principiò constat hunc locum situm in finibus Sicambrorum insigni Romanis fuisse præsidio ad compescendos, domandosque Tencteros, Usipetas, Bructeros, Marfos, Tubantes, Chattos, Delgubinos, quæ omnes gentes finitimas oras incolebant. Deinde plurimum habebat momenti ad Luppianam, Amisiam, Visurgim in Romani populi potestate retinendum. Quocirca multæ hoc loco nobiles expeditiones susceptæ, multa prælia decreta sunt. Itaque cum Imperatores, tum eorum legati multi hoc loco erant. Ac Drusus quidem quem post conditum Alifonem legatum habuerit non certò proditur. est tamen ut credam fuisse L. Domitium Ahenobarbum Neronis Imperatoris avum. Is, ut refert Tacitus, per medias paludes tramitem aggeravit usque ad Rhenum, quò commodè Romanæ copiæ permearent. Pertinuisse verò eum aggerem usque ad nostrum Alifonem, ex eo conjici licet, quòd postea narrat Germanicum omnia inter Alifonem castellum, & Rhenum novis aggeribus permunivisse. Novos vocat, eò quòd veteres antè à Domitio structos instauravit. Idem Domitius hinc quoque, ut opinor, arma ultra Visurgim, atque adeò Albim tulit. Sic enim Tacitus de eo: *Exercitu flumen Albim transcendit, longius penetrat à Germaniâ, quàm quisquam priorem, easque ob res insignia triumphi adeptus est.* Drusus quoque Alifonis nostri conditor, ad eundem Albim nomen Romanum protulit, sed cum victor reverteretur, priusquam ad Rhenum perveniret, ex fractura, equo super crus collapsò, naturæ concessit, tertio anno à condito Alifone, quo unà cum T. Quinctio Crispino ipse consulatum gerebat. Corpus Romam a Tiberio perlatum est. Milites Romani qui his locis versabantur aram suo Imperatori defuncto erexerunt, haud procul ab Alifone Castello, si rectè Tacitum assequor, qui memorat, eam à Germanis postea dirutam, atque item tumulum Varianis

Annal. 1.

Annal. 2.

Annal. 4.

*Epitome
Lib. ii.*

*Anno ante
CHRISTUM 7.*

Annal. 2.

rianis legionibus positum, cum à Germanico Alifonem, quem obsederant, deserere cogentur. A neutro igitur longè aberat. Atque, ut dicam quod sentio, credo fuisse inter Luppiam, & montes, inter quos via patet ad Teutoburgiensem saltum. Discimus enim ex Suetonio, cum de altero monumento, quod Moguntiaci eidem Druso est positum, loquitur, solenne fuisse, ut statò die, circum hanc aram quotannis exercitus decurrerent. ejusmodi verò decursiones magna camporum spatia postulabant, qualia sunt ea quæ Moguntiaci hodieque nomen à Druso obtinent: Neque verò è re erat legionum, ut quotannis procul à suis castris abducerentur: præsertim his locis, ubi ab hostibus facilè iniquitate locorum in discrimen adduci poterant. Quæ mihi ratio Germanicum permovisse videtur, cur, ut ibidem narrat Tacitus, tumulum Varianis legionibus structum, quem iidem Germani disjecerant, minimè iterarit. nimirum tumulus longiùs aberat ab Alifone, non item ara. Quare confirmare ausim aram hanc Drusi fuisse in ea planitie quæ inter Alifonem jacet, & Luppiaè caput. Druso successit in Germania frater ejus Tiberius, is quo deinde rerum potente CHRISTUS Salvator noster crucem pertulit. Is proximo à morte Drusi anno (Marcio Censorino, & Caio Asinio Gallo Coss.) Sicambros, in quorum regione demonstravi fuisse Alifonem, magis consilio, ut ipse apud Tacitum gloriatur, quàm vi usus, in deditionem accepit, eorumque multa millia supra ripam Rheni in Gallia collocavit? ut ait Eutropius. eos alii postea Burgundiones, alii Gugernos dictos volunt. Neque multò post Tiberius Romam discessit. Fuit deinde ejus in locis legatus M. Vinucius, ejus, cui Velleius suam historiam inscribit, avus. Sub eo, ut idem memorat, *triennio ante adoptionem Tiberii immensum in Germania bellum exarsit, quod ab eo quibusdam in locis gestum, quibusdam sustentatum feliciter, eoque nomine decreta ei cum speciosissima inscriptione operum ornamenta triumphalia.* Ad id bellum profligandum jam ab Augusto adoptatus, rediit in has oras Tiberius, Sexto

Drusenloch.

Annal. 2.

Lib. 7.

Isidorus.

Cluverius.

Velleius l. 2.

Ælio

Velleius
ibid.
An. CHRI.
STI 5.

Ælio Cato, & C. Sentio Saturnino Coss. Ibi cum trans
 Visurgim duxisset exercitum, atque Cheruscas in deditio-
 nem accepisset, hieme sequentis anni, qui L. Valerium Mes-
 salam, & Cornelium Cossum Coss. habuit, ad tutelam im-
 perii, inquit Velleius, digrediens in Urbem, *ad caput Lup-
 piae fluminis locavit hiberna.* Quæ res manifestò ostendit
 omne bellum ex hoc potissimum Alifone nostro, administra-
 tum esse: atque ita ipsa regionis opportunitas flagitabat. Pu-
 gnanti enim ad Visurgim non alius erat in propinquo rece-
 ptus. Proximo consequenti anno repetit eundem locum, at-
 que expeditionem Tiberius, atque *iterum trajecto Visurgi, re-
 ceptis Cauchis, fractis Longobardis, ad quadragesimum*
*(verba sunt Velleii) milliarium à Rheno ad flumen Albim vi-
 ctorem perduxit exercitum.* Erat Tiberii legatus in hoc bello

Lib. 55.

Velleius
ibidem.

C. Senti Saturninus, qui nuper consulatum gesserat, ei, ut re-
 fert Dio, ob res his regionibus ductu Tiberii bene gestas, orna-
 menta triumphalia decreta sunt. Circa idem tempus Marobo-
 duus Marcomannorum rex, qui in Boiohæmo dominabatur,
 grave bellum in Romanos commoverat. adversus eum ex
 his ad Alifonem castris Tiberius per Noricum, Saturninus per

An. CHRI.
STI 8.

Chattos cum copiis est profectus, A. Licinio Nerva, Q. Cæcilio
 Metello Coss. Hoc bellum sanè atrox & periculosum, ut in cu-
 jus societatem Maroboduus universam quoque Pannoniam, &
 Dalmatiam traxerat, propè à Tiberio feliciter patratum erat,
 cum hic apud Alifonem ingens plaga Romano est nomini

An. CHRI.
STI 10.

Ibid.

imposita, Q. Sulpicio Camerino, C. Poppæo Sabino Coss. Et
 enim digresso Tiberio, præfectus in Germaniam venerat P.
 Quinctilius Varus, qui antea Syriam administrarat, *vir, ut*
eum nobis depingit Velleius, ingenio mitis, moribus quietus,
ut corpore & animo immobilior, otio magis castrorum,
quàm bellica assuetus militia. Hunc supra memoravi cum
 exercitu Alifone confedisse. Nam Germani, ut narrat Dio,
 quibus nimium fidebat, dederant operam, ut quam longissi-
 mè abesset à Rheno, scilicet ut homini facilius insidias face-
 rent. at nullus castrorum Romanorum locus in hac regione a
 Rhe-

Rheno quantum Alifone distabat. Deinde caeso Varo Germani confestim ad oppugnanda castra conversi sunt. ea vero fuisse Alifone diferte pronunciat Velleius. *Asluetus igitur, ut ante cognovimus, otio castrorum Varus, hic non modo hiberna, sed etiam, ut ait idem, traherat aestiva, & quoniam, ut ex Dione nuper didicimus, Alifone forum erat, ubi Praefectus Romanus jus dicebat, audi quemadmodum ea res hominem infelicem, Germanorum fraudibus, ac dolis irretiendum, ac penitus constringendum dididerit. Velleii verba sunt: Mediam ingressus Germaniam, velut inter viros pacis gaudentes dulcedine jurisdictionibus, agendoque pro tribunali ordine traherat aestiva. At illi, quod, nisi expertus, vix crederet, in summa feritate versutissimi, natumque mendacio genus, simulantes fictas litium series, & nunc provocantes alter alterum injuria, nunc agentes gratias, quod eas Romana justitia finiret, feritasque sua novitate incognita disciplina mitesceret, & solita armis discerni, jure terminarentur, in summam socordiam perduxere Quinctilium, usque eo, ut se Praetorem Urbanum in foro jus dicere, non in mediis Germania finibus exercitui praesse crederet. Haec Velleius, qui unum praeteriit, quod ad excusandos Germanos non nihil facit, neque reticuit Dio. Ait enim Varum principio Germanis velut servis imperasse, & argentum exegisse tanquam a subditis, cujus rei insolentes eorum primores, quando palam rebellare non audebant, ad simulandam amicitiam, & obsequium, struendasque clandestino insidias flexisse. observarunt igitur adversus Romanos Germani illud Romani vatis: *Dolus an virtus quis in hoste requirat?* Erant insidiarum principes, ut idem Dio ait, Arminius & Segimerus, qui assiduo cum Quinctilio versabantur, ac saepenumero convivabantur. Atque haec omnia gerebantur, ut diximus, Alifone. Ubi jam nihil sibi Quinctilius a Germanis metuere visus est, primum eum rogant, ut praesidio sibi militum Romanorum uti liceat. Dicitum factum, aliis ad oppida munienda: aliis ad capiendos latrones: aliis ad subvehendos commeatus praesidia concedit.*

*Ibid.**Lib. 56.**Dio lib. 56.*

Post-

Postquam imminutus, & debilitatus exercitus Alifone remanerat, excogitant quemadmodum Varum inde ad iter protrahant, quò cladi sit opportunior, cum se per amicorum regionem ire crederet. Quid quæris? repente ex composito Alifonem affertur nuncius, quosdam è longinquis Germanis arma sumsisse. Hic qui apud Quintilium erant, quos jam pridem amicos esse sibi persuaserat, rem indignam dicere: hortari ut rebelles punitum iret: auxilio se mox affuturos. Illi digressi, quos quique Romanos, velut sibi præsidio futuros à Quintilio postularant, obtruncant: Quintilium adversus rebelles Alifone proficiscentem, à tergo, depositâ jam amicorum personâ, adoriuntur. Ita, inquit Velleius, *exercitus omnium fortissimus, disciplinâ manu, experienciâque bellorum inter Romanos milites princeps, marcove ducis, perfidiâ hostis, iniquitate fortuna circumventus, cum ne pugnandi quidem egregiè occasio, in quantum voluerant, data esset miseris, castigatis etiam quibusdam gravi pœnâ, quia Romanis & armis, & animis usi fuissent; inclusus silvis, paludibus, insidiis ad internecionem trucidatus est.* Reliquerat Varus Alifone, ut constat ex Dione, legatum L. Asprenatem, narrat enim à tubicinibus, cum se ad prædam convertissent Germani, sparsam esse famam adventare Asprenatem suos ulturum, neque eam vanam fuisse. In propinquo igitur fuisse oportuit. Ducebat Asprenas duas legiones, quas, ut narrat Velleius, *navâ virilique operâ immunes tantâ calamitate servavit; maturèque ad inferiora hiberna descendendo, vacillantium etiam cis Rhenum sitarum gentium animos confirmavit.* Appellat inferiora hiberna, quæ erant apud Vetera, ubi hodie est oppidum Sancti, quò pertinebant aggeres illi ab Alifone ad Rhenum olim structi. Inter alia rei Romanæ damna, quæ clades Variana attulit, illud etiam fuit, quòd Aliso, vigesimo circiter, postquam ædificatus fuerat, anno in hostium potestatem venit. Cæso enim cum exercitu Varo, immensæ Germanorum copiæ, ut testatur Velleius, Alifonem, & in eo Lucium Cæditium præfectum castorum, aliosque, qui supererant, Romanos

manos obsident. At illi omnibus difficultatibus superatis, quas inopia rerum intolerabiles, vis hostium faciebat inexsuperabiles, nec temerario consilio, nec segni providentiâ usi, speculatiq̄ue opportunitatem, ferro sibi ad suos peperere reditum. Hæc sunt, quæ de clade Variana ad Alifonis historiam pertinere visâ sunt, quæ Romano nomini panè exitiabilis, ut loquitur Suetonius, accidit Teutoburgiensi saltu, quod nomen hodie retinet mons, cui subjectus campus à Germanorum de Romanis victoria Winfelt appellatur, non longè ab Horna oppido, XII, ab Alifone passuum millibus. Quo tempore Aliso in Romanorum ditionem redierit, non satis compertum habeo; illud ex Tacito exploratum est, octavo post cladem anno tenuisse Romanos. Neque verò ante Augusti mortem, qui quinto post cladem anno obiit, recuperatum puto. Nam etsi Tiberius, & Germanicus poenas de Germanis repetitum mox venerunt, negat tamen Dio longè ab Rheno discessisse, ne quod sibi novum malum crearent. Mortuo Augusto, Sexto Pompeio, & Sexto Appuleio Coss. Tiberius jam Imperator in has oras venire desiit. quapropter totam belli Germanici molem Germanicus Drusi, qui Alifonem ædificaverat, filius, sustinuit: quem, ut narrat Tacitus, Octavius Augustus octo apud Rhenum legionibus imposuerat. Is anno ab Augusti excessu proximo, Druso Julio & C. Norbano Coss. sedatâ militum seditione, res novas Augusto jam extincto molientium, depulsisque hostium iter obsidentium copiis, exercitum duxit, inquit Tacitus, ad ultimos Bructerorum, quantumque Amisiam & Luppianam amnes inter, vastatum haud procul Teutoburgiensi saltu, in quo reliquæ Variæ legionumque inssepulta dicebantur. Pergit exequi quemadmodum in eum saltum progressus legiones Varianas tumulo condiderit, primusque cespitem posuerit, atque mox ancipiti cum Arminio Marte conflixerit. In hac expeditione receptum, vel instauratum Alifonem promptum est credere: nam ex ultimis Bructerorum, ubi hodie Delbrugia est, in Teutoburgiensem saltum tendentibus erat necessariò prætereun-

In Othob.
cap. 23.

CHRISTI
15.

Annal. 1.

Ibid.

us. Consecutus est annus, qui T. Sisennam, Statilium Taurum, & L. Scribonium Libonem Coss. habuit, quo Germani, dum Germanicus classem apparat, quâ militem & com-
meatum in has oras per Amisiam advehat, interea magnis
copiis *castellum Lupiæ flumini appositum* obsident, ut

Annal. 2.

commemoratur Tacitus. Id castellum paullò post Alisonem
nominat. Sic enim habet: *Audito castellum Luppiæ flumi-
ni appositum obsideri, sex legiones eo duxit. & paullò post:
Neque Casari copiam pugna obsessores fecere, ad famam ejus
dilapsi, tumulum tamen nuper Varianis legionibus structum,
& veterem aram Druso sitam disjecerant. Restituit aram,
honorique patris princeps ipse cum legionibus decucurrit. Tu-
mulum iterare haud visum; & cuncta inter castellum Ali-
sonem, & Rhenum novis limitibus, aggeribusque permunita.*

Atque hæc sunt, Princeps Illustrissime, quæ de Alisonem nostro
à Romanis scriptoribus sunt prodita. Consequentibus tem-
poribus, uti segnius Romanis in Germania Magna bella gesse-
runt, ita minorem dedere scribendi materiam. Siquidem hoc
ipsa anno, quo Alisonem obsidione liberatum esse dixi, Ger-
manicus post insignem victoriam, quam ad Visurgim, in

Tacitus

Annal. 2.

Ibidi

campo Idistaviso, non longè à Minda, de Arminio reporta-
vit, à Tiberio fortissimum juvenem, ut loquitur Tacitus, *spe-
cie honoris, amoliri cupiente, in urbem revocatur.* Ibi cum
proximo anno C. Cælio, L. Pomponio Coss. de Germanis
triumphasset, missus in orientem, non multò post, dolo Pi-
sonis interiit. Interea res Germaniæ per præfectos Tiberius sic

Tacit. l. 9.

Annal.

Annal. 2.

administrabat, ut, *ne cui bellum permetteret, etiam damna
dissimularet, satius arbitratus rebellium gentes, quando Ro-
mana ultioni consultum sit, internis discordiis relinqui.* Ne-
que nihil in hoc Tiberius vidit. nam post diceßum Germanici,
inter Cheruscas, & Maroboduum grave bellum exarsit, & po-
stea inter eosdem Cheruscas, & Chattos tantæ inimicitia, ut

Annal. 11.

alicubi Tacitus, eos *æternùm discordare* scripserit, ut interea
Hermundurorum cum iisdem Chattis prælia, & Bructerorum,
atque Ansibariorum excidia silentio præteream. Inter hæc

Ger-

Germanorum diffidia, tantisper Aliso præfidiis Romanorum tenebatur, donec Claudius Imperator, ut est apud Tacitum, C. Valerio Asiatico, M. Valerio Messalla Coss. qui erat à condito *Annal. 11.*
 Alisone sextus & quinquagesimus, adeò novam in Germanias vim prohibuit, ut referri præfidia cis Rhenum juberet. Præerat tum Germaniæ cum exercitu L. Domitius Corbulo, vir veteris disciplinæ militaris observantissimus, & maximis postea rebus in Oriente gestis immortalẽ famam consecutus. Is igitur in ipso aditu præclarorum operum, ad quæ jam pro nominis Romani gloria se accinxerat, non modò reducere exercitum, sed Alisone quoque, & quæcumque in ulteriore Germania Romani loca tenuerant, præfidiis nudare coactus est. Itaque deinceps præclare Romani secum agi existimarent, si Germanos transitu Rheni prohiberent. Quid quod Panegyristes quidam ausus est dicere coram Maximiano, & Constantino, posterioribus falsò de antiquis Imperatoribus *Paneg. Max. & Constant.*
 traditum visum fuisse, quòd trans Rhenum signa barbaris gentibus intulissent. Quò major est gloria tui Alisone, Princeps Illustrissime, habuisse in hibernis Romanas legiones, hinc jus dixisse tot Consulares, tot ornamentis triumphalibus insignes viros, hinc bella administrasse illos ex Augusta domo nobilissimos Imperatores, quorum ea fuerit virtus, ut etiam posteris supra fidem esse videretur.

C A P U T X.

In quorum potestatem venerit Aliso à Romanis desertus.

Quid verò, Romanis aquilis cis Rhenum reductis, Alisone factum est? Videtur enim certum, & exploratum, minimè vacuum, ac desertum esse derelictum, sed abscedentibus Romanis immigrasse Germanos, aut, quod verisimilius, dirutum instaurasse. Neque enim fieri potuisset, ut ad nostram usque ætatem Romanum Alisone nomen retineret, nisi jam inde à Romanorum ex his oris discessu, ab aliquo populo cultus esset, atque celebratus. Quid quod jam antè docui convenisse etiam Alisone, &